

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

10. Honores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

Aliud.

Qui tuus est, *Patiens*, ô tärque quatérque beatum,  
Ægrotare illum non patiere diu.

Aliud.

Pharmaca das ægrotō, æger tibi porrigit aurum,  
Tu morbum curas illius, ille tuum.

Aliud.

*Pollicitus nonnulla, nihil mihi Pontice præstas?*

Ult Medicus, quamvis nil det, ait, *Recipe.*

Possent hæc ignosci Poëtis, quibus mentiri licet & fingere, nisi Plinius gravissimus autor lib. 29. c. 1. nat. hist. acrius in Medicorum imperitiam invehetur. In hac, inquit, artium sola evenit, ut cuicunque medicum se professo, statim credatur, cùm sit periculum in nullo mendacio majus. Non tamen illud intuemur: adeò blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris & experimenta per mortes agunt: medicoque tantum, hominem occidisse impunitas summa est. Hæc ille. Hadrianus Imp. moriens dixit illud Menandis vulgatum: *Turba Medicorum Cæsarem perdidit.* Nicocles medicos felices vocabat, quoniam eorum successus sol intuetur, errores autem tellus operit.

IX. (i) Sed ad Æsculapium. Sunt, qui existiment, idèo extinctum fulmine, quòd propter felicitatem medendi supra hominem se extulerit, & tanquam Deo thus sibi aduleri voluerit ab iis, quibus sanitatem reddidisset. Credibile facit hoc commentum arrogantia Menecratis, Syracusani medici, cui cùm desperata aliquot curationes feliciter cessissent, morbo comprimis sacro medebatur hac lege, ut liberati, se ipsius servos faterentur, ipsiusque Jovem appellarent. Feruntque in id tumoris fuisse evectum, ut quandoque ad Agesilaum Spartæ regem hoc scriberet. *Menecrates Iupiter Agesilao salutem.* Rex offensus eo procœmio, præterea nihil dignatus est legere, sed rescripsit in hanc modum. Rex Agesilaus Menecrati *vixi et id est, bene valere, seu sanam mentem.* Plutarch. in appotheg. & Cælius c. 38. lib. 6.

X. (k) Denique Æsculapius inter deos relatus est, non Epidauri tantum, sed etiam Romæ, & alibi pro Numine cultus. Neque minus eius magistro Chironi, & filiis Machaoni ac Podalirio, exstructis delubris ac statuis, divini sunt honores habiti. De Podalirio refert Cælius lib. 14. c. 13.

(i) Medicorum arrogantia (k) Medicorum honores.

Syrnæ

*Syrenam* Cariæ civitatem ab ipso conditam, & denominatam à *Syrna* Dame-  
thi regis filia, quam tecto delapsam, misso ex utroque brachio sanguine,  
persanarit.

Quod Rex admiratus, generum sibi optavit, Chersonesō illi traditā:  
adeò casus, in sublimem fortunam extulit medicum; de quo, eiūsque si-  
milibus dici possit illud 5. Æneid.

Attulit ipse viris optatum casus honorem.

Hippocrati, teste *Plutarcho*, corona aurea centum librarum è tota  
Græcia oblata est. Antonius Musa, quod Augusto Cæsari afflictum genu  
curasset, à Romanis statua ex alabastro donatus est. *Sueton.* in *August.*  
Recentioribus sæculis Petrus Apponensis, medicus Patavinus, ad Pontifi-  
cem Honorium accersitus, singulis diebus quadringentos coronatos, sala-  
rii loco accepit. *Philipp. Camerar.* Horar. subseciu. ccnt. i. c. 4. Lu-  
dovicus XI. Rex Galliæ, apud Cominæum historicum, medico suo men-  
struum stipendium decem aureorum millia dare solebat, sic ut intra quin-  
tum mensem illa ab eo quinquaginta quatuor aureorum seu coronatorum  
millia reportaret. Nunquid

Dat Galenus opes? & dat Galenus honores?

Quod Siracides confirmat cap. 38. *Disciplina medici exaltabit ca-  
put illius, & in conspectu magnorum collaudabitur.* Et meritò quidem suo.  
Nam ut Marsilius Ficinus ait: ars medica & divinitus accepta est, & di-  
vinitus exercetur.

XI. (1) Apud Pausan. in Corinth. Æsculapii simulacrum sedet in  
folio, scipionem tenens, altera manu draconis caput premit, cane ad pe-  
des decumbente. *Solium & virga* typus est imperii, quod medicus gerit  
in ægros: *Draconis* caput prudentiam significat, & venenum, cui domi-  
natur, imò quod in medicinam vertit. *Canis* fidelitatem denotat ægrotis  
adhibendam. Æsculapio *corvus* sacer, futurorum præfigurum indicat; ei-  
dem *gallus* immolari solitus, vigilantiam ostendit. Quibus virtutibus si  
prædictus fuerit, qui artem hanc profitetur, n̄ nos ipsum cum Æsculapio  
inter ordines deorum collocabimus. Æsculapii filiæ erant. *Panacea &  
Hygeia*, id est: morborum omnium remedium & sanitas. *Felix Medicus*,  
qui cum his conjungit nuptias; infelix, qui vel generat, vel sibi  
copulat, *Cacopharmacon* & *Libilitinam*, quæ, juxta  
Poëtas, non rarò epithalamium in epice-  
dium vertunt.

C C C 3

SYM-

(1) *Medicorum conditiones.*